Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26208
Copyright: Admont, Benediktinerstift



PRECES iungitur. Idcirco et preces et confessio et oratio secuntur
quia tales fructus penitentes in comunione recipiunt.
Ob hanc etiam causam .vii. penitentiales psalmi ac letanie
DE CAPTO canuntur. Solent pastores loca mutare et greges ad
alia pascua minare. Hos religiosi imitantur. dum prelatum
de ecclesia sequentes in capitolium congregantur. Ibi dei anima
libus sal ad lambendum datur. dum eis in martyrologio
passio vel vita sanctorum pronuntiatur. Opilio vero eis quasi pabu
PRECIOSA. lum ponit. dum per versum Preciosa pacientiam sanctorum proponit.
Deinde divinum auxilium ter per Dominus inadiutum invocat.
ut grex dei periculum animarum evadat. Deinde quasi ovile
benedicit. dum eos dirigi et sanctificari in lege dei poscit.
Post hec lectione reficiuntur. et tunc singuli in opera quasi
.iii. vinee cultores diriguntur. Dum tercia cantatur. quasi
vi. a novis operariis in vinea laboratur. Dum vi canitur.
viiii. quasi ab aliis labor suscipitur. Dum viiii psallitur. quasi
iterum ab aliis onus subitur. In vespere denarius recipitur.
VESPERA. Tercia et vi. et viiii. ideo trinis psalmis celebrantur. quia in his
tribus horis trinitas venerat. Sed queritur cum prima dicatur.
cur tercia et non potius secunda sequatur. Item cum .iii. ponatur.
.iiii. vel .v. dicatur. cur deinde .vi. et non .viiii. vel vespera dicatur. Itemque cur
sexta nona et non magis .vii. et viiii. prosequatur. Sci
endum est. quod dies in .xii. horas dividitur. et pro unaquaque
hora unum Capitulum de psalmo Beati immaculati concinitur. pro prima
hora Beati immaculati. pro .ii. Retribue. pro iii. Lege pone.